

ORIGINAL LATIN TEXT
OF THE
MAGNA CHARTA OF KING JOHN.

[For the translation, see page 228.]

MAGNA CHARTA,

SEU CHARTA DE LIBERTATIBUS REGIS JOHANNIS CON-
CESSUS DIE JUNII QUINTO DECIMO, A. D. 1215,
IN ANNO REGNI SEPTIMO DECIMO.

(In Archivis Ecclesiae Cathedralis Lincolniensis Asservata.)

JOHNNES Dei Gratia, Rex Angliae, Domi-
nus Hiberniae, Dux Normanniae, et Aquita-
niae, Comes Andegaviæ, Archiepiscopis,
Episcopis, Abbatibus, Comitibus, Baronibus, Justi-
ciariis, Forestariis, Vicecomitibus, Præpositis,
Ministris, et omnibus Ballivis, et fidelibus suis,—
Salutem. Sciatis Nos, intuitu Dei, et pro salute
animæ nostræ, et omnium antecessorum, et hære-
dum nostrorum, ad honorem Dei, et exaltationem
Sanctæ Ecclesiæ, et emendationem Regni nostri,
per consilium venerabilium patrum nostrorum
Stephani Centuariensis Archiepiscopi, Totius An-
gliae Primatis et Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardi-
nalis; Henrici Dubliniensis Archiepiscopi, Willi-
elmi Londoniensis, Petri Wintoniensis, Jocelini

Bathoniensis et Glastoniensis, Hugonis Lincolnien-
sis, Walteri Wigorniensis, Willielmi Coventrensis,
et Benedicti Roffensis, Episcoporum; Magistri
Pandolfi Domini Papæ Subdiaconi et familiaris,
Fratris Eimerici, Magistri Militiae Templi in
Anglia, et nobilium virorum Willielmi Marescalli
Comitis Pembrochiae, Willielmi Comitis Saris-
buriæ, Willielmi Comitis Warrenie, Willielmi
Comitis Arundelliae, Alani de Galweia Constabu-
larii Scotiæ, Warini filii Geroldi, Huberti de
Burgo Senescalli Pictaviæ, Petri filii Hereberti,
Hugonis de Nevillæ, Matthei filii Hereberti,
Thomæ Basset, Alani Basset, Philippi de Albi-
niaco, Roberti de Roppelay, Johannis Marescalli,
Johannis filii Hugonis, et aliorum fidelium nos-
trorum; In primis concessisse Deo, et hac pre-
senti Charta nostra confirmasse pro nobis et hære-
dibus nostris in perpetuum:—

i. Quod Anglicana Ecclesia libera sit, et habeat
jura sua integra et libertates suas illæsas, et ita
volumus observari quod appetit ex eo quod liber-
tatem electionem, que maxima, et magis neces-
saria reputatur Ecclesiae Anglicanæ, mera et
spontanea voluntate ante discordiam inter nos et
Barones nostros motam, concessimus, et charta
nostra confirmavimus, et eam obtinuimus a Dom-

ini Papa Iunocentio Tertio confirmari: quam et nos Observavimus, et ab hæridibus nostris in perpetuum bona fide volumus observari. Concessimus etiam omnibus liberis hominibus regni nostri, pro nobis et hæredibus nostris in perpetuum, omnes libertates subscriptas, habendas et tenandas eis et hæridibus suis de nobis et hæridibus nostris.

2. Si quis Comitum vel Baronum nostrorum, sive aliorum tenentium de nobis in capite per servitium militare, mortuus fuerit et cum decesserit hæres suus plene ætatis fuerit, et relevium debeat, habeat hæreditatem suam per antiquum relevium; scilicet, hæres vel hæredes Comitis, de Baronia Comitis integra, per centum libras: hæres vel hæredes Baronis, de Baronia integra per centum libras: hæres vel hæredes Militis, de Feodo Militis integro, per centum solidos, ad plus: et qui minus debuerit, minus det, secundum antiquam consuetudinem feodorum.

3. Si autem hæres alicujus talium fuerit infra ætatem, et fuerit in custodia, cum ad ætatem pervenerit, habeat hæreditatem suam sine relevio et sine fine.

4. Custos terræ hujusmodi hæredis qui infra ætatem fuerit, non capiat de terra hæredis nisi

rationabiles exitus, et rationabiles consuetudines, et rationabilia servitia, et hoc sine destructione et vasto hominum vel rerum. Et si nos commis-erimus custodiam alicujus talis terræ Vicecomiti, vel alicui alii qui de exitibus illius nobis respondere debeat, et ille destructionem de custodia fecerit vel vastum, nos ab illo capiemus emendam, et terra committatur duobus legalibus et discretis homini-bus de feodo illo, qui de exitibus respondeant nobis, vel ei cui eos assignaverimus. Et si dederi-mus vel vendiderimus alicui custodiam alicujus talis terræ, et ille destructionem inde fecerit vel vas-tum, amittat ipsam custodiam; et tradatur duobus legalibus et discretis hominibus de feodo illo, qui simili-ter respondeant nobis sicut prædictum est.

5. Custos autem, quamdiu custodiam terræ habuerit, sustinet domos, parcos, vivaria, stagna, molendina, et cætera, ad terram illam pertinentia, de exitibus terræ ejusdem, et reddat hæridi cum ad plenam ætatem pervenerit, terram suam totam, instauratam decarrucis et waignigiis, secundum quod tempus waignigii exiget, et exitus terræ rationabiliter poterunt sustinere.

6. Hæredes maritentur absque disparagatione, ita quod antequam contrahatur matrimonium,

ostendatur propinquis de consanguinitate ipsius
hæredis.

7. Vidua, post mortem mariti, sui statim et sine difficultate, habeat maritagium et hæreditatem suam; nec aliquid det pro dote sua, vel pro maritacio suo, vel hæreditate sua, quam hæreditatem maritus suus et ipsa tenuerint die obitus ipsius mariti; et maneat in domo mariti sui per quadraginta dies post mortem ipsius, infra quos assignetur ei dos sua.

8. Nulla vidua distingatur ad se maritandum dum voluerit vivere sine marito; ita tamen quod securitatem faciat quod se non maritabit sine assensu nostra de nobis tenuerit, vel sine assensu domini sui de quo tenuerit, si de alio tenuerit.

9. Nec nos nec Ballivi nostri, saisiemus taram aliquam nec redditum pro debito aliquo, quamdiu catalla debitoris, sufficiunt ad debitum reddendum; nec plegii ipsius debitoris distingantur, quandiu ipse capitalis debitor sufficit ad solutionem debiti; et si capitalis debitor defecerit in solutione debiti, non habens unde solvat, plegii respondeant de debito, etsi voluerint, habeant terras et redditus debitoris, donec sit eis satisfactum de debito quod ante pro eo solverint, nisi capitalis

debitor monstraverit se esse quietum inde versus eosdem plegios.

10. Si quis mutuo cæperit aliquid a Judeus, plus vel minus, et moriatur antequam debitum illud solvatur, debitum non usuret quamdiu hæres fuerit infra ætatem de quocumque teneat; et si debitum illud inciderit in manus nostras, nos non capiemus nisi catallum contentum in charta.

11. Et si quis moriatur et debitum debeat Judeis, uxor ejus habeat dotem suam, et nihil reddat de debito illo; et si liberi ipsius defuncti qui fuerint infra ætatem, remanserint, provideantur eis necessaria secundum tenementum quod fuerit defuncti, et de residuo solvatur debitum, salvo servitio deminorum. Simili modo fiat de debitibus que debentur aliis quam Judeis.

12. Nullum scutagium vel auxillium ponatur in regno nostro, nisi per cummune consilium regni nostri; nisi ad corpus nostrum redimendum, et primogenitum filium nostrum militem facendum, et ad filiam nostram primogenitam semel maritandam; et ad hæc non fiat nisi rationabile auxillum.

13. Simili modo fiat de auxiliis de civitate Londonii. Et Civitas Londonii habeat omnes antiquas libertates, et liberas consuetudines suas,

tam per terras quam per aquas. Praeterea volumus et concedimus quod omnes aliae Civitates, et Burgi, et Villae, et Portus, habeant omnes libertates et liberas consuetudines suas.

14. Et ad habendum commune consilium regni, de auxilio assidendo, aliter quam in tribus casibus praedictis, vel de Scutagio assidendo, summoneri faciemus Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Comites, et maiores Barones, sigillatim, per literas nostras. Et præterea, faciemus summoneri in generali per Vicecomites et Ballivos nostros, omnes illos qui de nobis tenent in capite, ad certum diem scilicet, ad terminum quadraginta dierum, ad minus, et ad certum locum; et in omnibus literis illius summonitionis causam summonitionis exprimemus; et sic facta summonitione, negotium ad diem assignatum procedat, secundum concilium illorum qui presentes fuerint, quamvis non omnes summoniti venerint.

15. Nos non concedemus de cætero, alicui, quod capiat auxilium de liberis hominibus suis, nisi ad corpus suum redimendum, et ad faciendum primogenitum filium suum militem, et ad primogenitam filiam suum semel maritandam; et ad hæc non fiat nisi rationabile auxilium.

16. Nullus distingatur ad faciendum majus servitium de Feodo Militis, nec de alio libero tenemento, quam inde debetur.

17. Communia placita non sequantur curiam nostram, sed teneantur in aliquo certo loco.

18. Recognitiones de Nova Dissaisina, de Morte Antecessoris, et de Ultima Presentatione, non capiantur, nisi in suis comitatibus, et hoc modo: Nos vel si extra regnum fuerimus, Capitalis, Justiciarius noster, mittemus duos Justiciarios per unumquenque comitatum per quatuor vices in anno, qui, cum quatuor militibus cuiuslibet comitatus, electis per comitatum, capiant in comitatu, et in die et loco comitatus, assisas praedictas.

19. Et si in die comitatus assisæ prædictæ capi non possint, tot milites et liberæ tenentes remaneant de illis qui interfuerint comitatu die illo, per quos possint sufficienter judicia fieri, secundum quod negotium fuerit majus vel minus.

20. Liber homo non amercietur pro parvo delicto, nisi secundum modum delicti; et pro magno delicto, amercietur secundum magnitudinem delicti, salvo contenemento suo, et Mercator eodem modo, salva, mercandisa sua, et vilainus eodem modo amercietur, salvo waignaigio

suo, si inciderint in misericordiam nostram; et nulla prædictarum misericordiarum ponatur, nisi per sacramentum proborum hominum de visneto.

21. Comites et Barones non amercentur nisi per Pares suos, et non nisi secundum modum delicti.

22. Nullus Clericus amercietur de laico tene-
mento suo, nisi secundum modum aliorum præ-
dictorum, et non secundum quantitatem beneficii
sui ecclesiastici.

23. Nec villa nec homo distingatur facere
pontes ad riparias, nisi qui ab antiquo et de jure,
facere debent.

24. Nulles Vicecomes, Constabularius, Corona-
.tores, vel alii Ballivi nostri, teneant placita coro-
næ nostræ.

25. Omnes Comitatus et Hundredi, Trethingii,
et Wapentachii, sint ad antiquas firmas, absque
ullo incremento, exceptis Dominicis maneriis
nostris.

26. Si aliquis tenens de nobis laicum feodum
moriatur, et Vicecomes vel Ballivus noster, osten-
dat literus nostras patentes de summonitione nos-
tra de debito quod defunctus nobis debuit, liceat
Vicecomiti vel Ballivo nostro attachiare et in-
breviare catalla defuncti inventa in laico feodo, ad

valentiam illius debiti, per visum legalium hominum, ita tamen quod nihil inde amoveatur, donec persolvatur nobis debitum quod clarum fuit; et residuum relinquator executoribus ad faciendum testamentum defuncti et si nihil nobis debeat ab ipso, omnia catalla cedant defuncto, salvis uxore ipsius et pueris rationabilibus partibus suis.

27. Si aliquis liber homo intestatus decesserit, catalla sua per manus propinquorum parentum et amicorum suorum, per visum Ecclesiae distribuantur; salvis unicuique debitus quae defunctis ei debebat.

28. Nullus Constabularius vel alius Ballivus noster, capiat blada vel alia catalla alicujus, nisi statim inde reddat denarios, aut respectum inde habere possit de voluntate venditoris.

29. Nullus Constabularius distingat aliquem Militem ad dandum denarios pro custodia castri, si facere voluerit custodiā illam in propria persona sua, vel per alium probum hominum, si ipse eam facere non possit propter rationabilem causam: et si nos duxerimus vel miserimus eum in exercitu, erit quietus de custodia secundum quantitatem temporis quo, per nos, fuerit in exercitu.

30. Nullus Vicecomes vel Ballivus noster, vel aliquis alias, capiat equos vel caretas alicujus liberi hominis pro carragio faciendo, nisi de voluntate ipsius liberi hominis.

31. Nec nos, nec Ballivi nostri, capiemus alienum boscum ad castra vel alia agenda nostra, nisi per voluntatem ipsius cuius boscus ille fuerit.

32. Nos non tenebimus terras illorum qui convicti fuerint de feloniam, nisi per unum annum et unum diem; et tunc reddantur terrae dominis feodorum.

33. Omnes Kidelli de cætero deponantur penitus de Thamesia et de Medeway, et per totam Angliam, nisi per costeram maris.

34. Breve quod vocatur Præcipe, de cætero non fiat alicui de aliquo tenemento, unde liber homo possit amittere curiam suam.

35. Una mensura vini sit per totum regnum nostrum, et una mensura cervisiae, et una mensura bladi, scilicet quartarium Londonii; et una latitudo pannorum tinctorum, et russettorum, et halbergettorum, scilicet, duæ ulnae infra listas. De ponderibus autem sit ut de mensuris.

36. Nihil detur vel capiatur de cætero pro Brevis Inquisitionis de vita vel membris; set gratis concedatur et non negatur.

37. Si aliquis teneat de nobis per Feodi-Firmam, vel per Socagium vel per Burgagium; et de alio terram teneat per Servitium Militare, nos non habebimus custodiam hæredis nec terræ suæ est de feodo alterius, occasione illius Feodi-Firmæ, vel Socagii vel Burgagii; nec habebimus custodiam illius Feodi-Firmæ, vel Socagii, vel Burgagii, nisi ipsi Feodi-Firma debeat Servitium Militare. Nos non habebimus custodiam hæredis vel terræ alicujus, quam tenet de alio per Servitium Militare, occasione Parve Serjanterie quam tenet de nobis per servitium redendi nobis cultellos vel sagittas, vel hujusmodi.

38. Nullus Ballivus ponat de cætero aliquem ad legem, simplici loquela sua, sine testibus fidelibus ad hoc inductis.

39. Nullus liber homo capiatur, vel imprisoneatur, aut dissaisiatur, aut utlagetur, aut exuletur, aut aliquo modo destruatur; nec super eum ibimus, nec super eum mittemus, nisi per legale judicium parium suorum, vel per legem terræ.

40. Nulli vendemus, nulli negabimus, aut differimus, rectum aut justitiam.

41. Omnes Mercatores habeant salvum et securum exire ab Anglia, et venire in Angliam, morari et ire per Angliam tam per terram quam

per aquam, ad emendum et vendendum, sine omnibus malis tollitis, per antiquas et rectas consuetudines; præterquam in tempore guerræ, et si sint de terra contra nos guerrina; et si tales inveniantur in terra nostra in principio guerræ, attachientur sine dampno corporum et rerum, donec sciatur a nobis, vel Capitali Justiciario nostro, quomodo Mercatores terræ nostræ tractentur, qui tunc invenientur in terra contra nos guerrina; et si nostri salvi sint ibi, alii salvi sint in terra nostra.

42. Liceat unicuique de cætero, exire de regno nostro, et redire salvo et secure per terram et per aquam, salva fide nostra, nisi tempore guerræ, per aliquod breve tempus, propter communem utilitatem regni: exceptis imprisonatis et utlagatis, secundum legem regni; et gentæ de terra contra nos guerrina, et Mercatoribus de quibus fiat sicut prædictum est.

43. Si quis tenuerit de aliqua escæta, sicut de Honore de Wallingeford; Nottingehamia, Bononii, Lancastriæ, vel de aliis escætis quæ sunt in manu nostra, et sunt Baroniae, et obierit, hæres ejus non det aliud relevium, nec faciat aliud nobis servitium quam faceret Baroni, si Baronia illa

esset in manu Baronis; et nos eodum modo eam tenebimus quo Baro eam tenuit.

44. Homines qui manent extra forestam, non venient, de cætro, coram Justiciariis nostris de Foresta, per communes summonitiones: nisi sint in placito, vel plegii alicujus, vel aliquorum qui attachiati sint pro Foresta.

45. Nos non faciemus Justiciarios, Constabularios, Vice comites, vel Ballivos, nisi de talibus qui sciant legem regni, et eam bene velint observare.

46. Omnes Barones qui fundaverunt Abbatias, unde habent cartas Regum Angliæ, vel antiquam tenuram, habeant earum custodiam cum vacaverint, sicut habere debent.

47. Omnes Foreste quæ afforestate sunt tempore nostro, statim deafforestentur; et ita fiat de Ripariis quæ per nos tempore nostro posite sunt in defenso.

48. Omnes malæ consuetudines de Forestis et Warrennis, et de Forestariis et Warrenariis, Vicecomitibus et eorum ministris, Ripariis et earum custotibus, statim inquirantur in quolibet comitatu, per duodecim Milites Juratos de eodem comitatu, qui debent eligi per probos homines ejusdem comitatus, et infra quadraginta dies post inquist

ionem factam, penitus, ita quod nunquam revo-
centur, delean tur per eosdem, ita quod nos hoc
prius sciamus vel Justiciarius noster, si in Angliæ
non fuerimus.

49. Omnes obsides et cartas statim reddemus
quæ liberate fuerunt nobis ab Anglicis in securi-
tatem pacis, vel fidelis servitii.

50. Nos amovebimus penitus de balliis parentes
Gerardi de Atyes, quod de cætero nullam habeant
balliam in Anglia; Engelardum de Cygonii,
Andream, Petrum, et Gyonem de Cancelli, Gyo-
nem de Cygonii, Galfridum de Martini, et fratres
eius, Philippum Marci, et fratres ejus, et Galfridum
nepotem ejus, et totam sequelam eorumdem.

51. Et statim post pacis reformationem, amove-
bimus de regno omnes alienigenas milites, balis-
tarios, servientes, stipendarios, qui venerint cum
equis et armis ad nocumentum regni.

52. Si quis fuerit dissaisitus vel elongatus per
nos, sine legali judicio parium suorum, de terris
castallis, libertatibus, vel jure suo, statim ea ei
restituemus; et si contentio super hoc orta fuerit,
tunc inde fiat per judicium viginti quinque Baro-
num, de quibus fit mentio inferius in securitate
pacis. De omnibus autem illis de quibus aliquis
dissaisitus fuerit, vel elongatus, sini legali judicio

parium suorum, per Henricum Regem patrem nostrum, vel per Richardum Regem fratrem nostrum, quæ in manu nostra habemus, vel quæ alii tenent quæ nos oporteat warantizare, respectum habebimus usque ad communem terminum Cruciae Signatorum: exceptis illis de quibus placitum motum fuit, vel inquisitio facta per præceptum nostrum, ante susceptionem Crucis nostræ; cum autem redierimus de peregrinatione nostra, vel si forte remanserimus a peregrinatione nostra statim inde plenam justitiam exhibebimus.

53. Eundem autem respectum habebimus, et eodum modo dejustitia exhibenda, de forestis deforestandis, vel remansuris forestis quas Henricis pater noster, vel Ricardus frater noster afforestaverunt; et de custodiis terrarum quæ sunt de alieno feodo, cuiusmodi custodias hucusque habuimus, occasione feodi quod aliquis de nobis tenuit per Servitium Militare; et de Abbatii quæ fundate fuerint in feodo alterius quam nostro, in quibus dominus feodi dixerit se jus habere; et cum redierimus, vel si remanserimus a peregrinatione nostra, super hiis conquerentibus pleplenam justitiam statim exhibebimus.

54. Nullus capiatur nec imprisonetur propter appellum feminæ de morte alterius, quam viri sui.

55. Omnes fines qui injuste, et contra legem terre facti, sunt nobiscum; et omnia amerciamenta facta injuste, et contra legem terrae omnino condonentur, vel fiat inde per judicium viginti quinque Baronum de quibus fit mentio inferius in securitate pacis, vel per judicium majoris partis eorumdem, una cum predicto Stephano, Cantuariensis Archiepiscopo, si interesse poterit, et aliis quos secum ad hoc vocare voluerit; et si interesse non poterit, nihilominus procedat negotium sine eo; ita quod si aliquis, vel aliqui, de predictis viginti quinque Baronibus, fuerint in simili querela, amoveantur, quantum ad hoc judicium, et alii loco illorum per residuos de eisdem viginti quinque tantum ad hoc faciendum electi et jurati, substituantur.

56. Si nos dissaisivimus vel elongavimus Wallenses de terris, vel libertatibus, vel rebus aliis, sine legali judicio parium suorum in Anglia, vel in Wallia, eis statim reddantur; et si contentio super hoc orta fuerit, tunc inde fiat in Marchia per judicium parium suorum: de tenementis Angliae, secundum legem Angliae; de tenementis Walliae, secundum legem Walliae; de tenementis Marchiae, secundum legem Marchiae. Idem facient Wallenses nobis et nostris.

57. De omnibus autem illis de quibus aliquis Walensium dissaisitus fuerit, vel elongatus, sine legali judicio parium suorum, per Henricum Regem patrem nostrum, vel Richardum Regem fratrem nostrum, quæ nos in manu nostra habemus, vel quæ alii tenent quæ nos oporteat warantizare, respectum habebimus usque ad communem terminum Crucæ Signatorum, illis exceptis, de quibus placitum motum fuit, vel inquisitio facta per præceptum nostrum, ante susceptionem crucis nostre. Cum autem redierimus vel si forte remanserimus a peregrinatione nostra, statem eis inde plenam justitiam, exhibebimus secundum leges Wallensium, et partes prædictas.

58. Nos reddemus filium Leuelini, statim et omnes obsides de Wallia, et cartas quæ nobis liberae fuerunt in securitatem pacis.

59. Nos faciemus Alexandro Regi Scottorum, de sororibus suis, et obsidibus reddendis, et libertatibus suis, et jure suo, secundum formam in qua faciemus aliis Baronibus nostris Angliæ, nisi aliter esse debeat per cartas quas habemus de Gulielmo patre ipsius quondam Rege Scottorum; et hoc erit per judicium parium suorum in curia nostra.

60. Omnes autem istas consuetudines prædictas, et libertates quas nos concessimus in regno nostro tenendas, quantum ad nos pertinet ergo nostros, omnes de regno nostro, tam clerici quam laici obseruent, quantum ad se pertinet ergo suos.

61. Cum autem pro DEO et ad emendationem regni nostri, et ad melius sopiaendum discordiam inter nos et Barones nostros ortam, hæc omnia prædicta concesserimus, volentes ea int̄egra et firma stabilitate in perpetuum gaudere, facimus et concedemus eis securitatem subscriptam: videlicet, quod Barones eligent viginti quinque Barones de regno, quos voluerint, qui debeant pro totis veribus suis, observare, tenere, et facere observari, pacem et libertates quas eis concessimus et hac presente carta nostra confirmavimus: ita scilicet, quod si nos, vel Justiciarius noster, vel ballivi nostri, vel aliquis de ministris nostris, in aliquo ergo aliquem deliquerimus, vel aliquem articulorum pacis aut securitatis transgressi fuerimus, et delictum ostensum fuerit quatuor Baronibus de prædictis viginti quinque Baronibus, illi quatuor Barones accendent ad nos, vel ad Justiciarium nostrum, si fuerimus extra regnum, proponentes nobis excessum, petent, ut excessum illum sine dilatatione faciamus emendari. Et si nos excessum non em-

endaverimus vel si fuerimus regnum, Justiciarius noster non emendaverut, infra tempus quadraginta dierum, computandum a tempore quo monstratum fuerit nobis, vel Justiciario nostro, si extra regnum fuerimus, prædicti quatuor Barones referant causam illam ad residuos de illis viginti quinque Baronibus, et illi, viginti quinque Barones, cum communia totius terræ, dintringent et gravabunt nos modis omnibus quibus poterunt; scilicet per captionem castrorum, terrarum, possessionem, et aliis modis quibus poterunt donec fuerit emandatum secundum arbitrium eorum; salva persona nostra, et Reginæ nostræ et liberorum nostrorum; et cum fuerit emandatum, intendent nobis sicut prius fecerunt. Et quicumque voluerit de terra, juret quod ad prædicta omnia exequenda, parebit mandatis prædicatorum viginti quinque Baronum, et quod gravabit nos pro posse suo cum ipsis; et nos publice et libere damus licentiam jurandi cuilibet qui jurare voluerit, et nulli umquam jurare prohibebimus. Omnes autem illos de terra, qui per se et sponte sua noluerint jurare viginti quinque Baronibus, de distingendo et gravando nos cum eis, faciemus jurare eosdem de mandato nostro, sicut prædictum est. Et si aliquis de viginti quinque Baronibus decesserit, vel a terra recesserit, vel aliquo alio

medo impeditus fuerit, quominus ista prædicta possent exequi, qui residui fuerint de predictis viginti quinque Baronibus eligant alium loco ipsius, pro arbitrio suo, qui simili modo erit juratus, quo et cæteri. In omnibus autem, quæ istis viginti quinque Baronibus committuntur exequenda, si forte ipsi viginti quinque presentes fuerint, et inter se super re aliqua discordaverint, vel aliqui ex eis summoniti nolint, vel nequeant interesse, ratum habeatur et firmum, quod major pars eorum, qui presentes fuerint, providerit, vel præceperit; ac si omnes viginti quinque in hoc consensissent: et prædicti viginti quinque jurent quod omnia antedicta fideliter observabunt, et pro toto posse suo facient observari. Et nos nihil impetrabimus ab aliquo, per nos, nec per alium, per quod aliqua istarum concessionum et libertatum revocetur vel minuatur. Et si aliquid tale imperatum fuerit iritum sit et inane; et numquam eo uteatur, per nos, nec per alium.

62. Et omnes malas voluntates, indignationes, et rancores ortos inter nos et homines nostros, clericos et laicos, a tempore discordiæ, plene omnibus remisimus et condonavimus. Præterea, omnes transgressiones factas occasione ejusdem discordiæ, a Pascha anno regni nostri sextodecimo, usque ad

pacem reformatam, plene remisimus omnibus clericis et laicis, et quantum ad nos pertinet, plene condonavimus. Et, insuper, fecimus eis fieri literas testimoniales patentas domini Stephani Cantuariensis Archiepiscopi, Domini Henrici Dubliniensis Archiepiscopi, et Episcoporum prædicatorum, et Magistri Pandulphi, super securitate ista et concessionibus præfatis.

63. Quare, volumus, et firmiter præcipimus quod Anglicana Ecclesia libera sit; et quod homines in regno nostro habeant et teneant omnes prefatas libertates, jura, et concessiones, bene et in pace, libere et quiete, plene et integre, sibi et hæredibus suis, de nobis et hæredibus nostris, in omnibus rebus et locis, in perpetuum sicut prædictum est. Juratum est autem, tam ex parte nostra, quam ex parte Baronum, quod haec omnia supradicta bona fide, et sine malo ingenio servabuntur. Testibus supradictus, et multis aliis. Data per manum nostram, in Prato quod vocatur Runimed, inter Windeleshorum et Stanes, quintodecimo die Junii, anno regni nostri septimo decimo.